


Zf a  
5935









Zf  
5935




Monumentum  
**STEMMATIS**  
ET HONORIS,  
Illibato Hymeneo, San-  
ctæ Jugæ, & Casto Amori,

*Imò potiùs*  
DEO Opt. Summo Conjugii auctori,  
& Conservatori,

*Novisq; Sponsis Nobilib.*

IX. Cal. Decemb. in arce VVitzlebicâ  
VVENDELSTEIN.

SACRUM.



L I P S I Æ,

Impressum à VALENTINO am Ende.

ANNO

M. DC. XIII.







*Primariâ generis antiqui nobilitate, & virtutum lau-  
de Clariss. ac Strenuo*

**Dn. Philippo Heinricho à Witz-**

leben in VVendelstein Eq. Thur.

*Musarum Mæcenati eximio Sponso.*

*Ejusdemq;*

Nobiliss. & pietatis ac pudicitiaë laude egre-  
gia Virgini

**Sabinæ Elisabethæ,**

Nobiliss. & Magn. viri Dn. HARTMANNI à VVan-  
genheim in VVangenheim & Tängeda, Illust. Duc.

Sax. Consilarii quondam intimi relictaë

Filiaë SPONSÆ.

*Monumentum hoc chartaceum Promot. Faut.  
& Compat. suo col.*

**CHRISTIANUS PODENSTEIN** Rector Scholæ  
VVitzlebicæ Rosælbii

*Dicat & Ponit.*

*An. 1613.*

*IX. Cal. Decembr.*

BIBLIOTHECA  
POMUCKAVIANA







CARMEN I.

Genealogia Witzlebici  
Stemmatis.



Um VVitzlebiades genialia festa celebrat,  
Dum puro Huic faculas igne coruscat  
Amor,

Dumq; alii indulgēt epulis ante ora paratis,  
Et Bacchi ad numeros pocula plena bibunt,

Hic ego procumbens Musas in vota ciebo,  
Quā placido incurvat murmure Onester aquas.  
Carmina sunt dicenda, neget quis carmina Sponso,  
Cui Musa, & Charites, cui bona Fama favent?  
Huic agite o Salices, tuq; optima Roslebina,  
Quam decorat Memoris matris honora cohors,  
Suscipe, & hec nostri tibi sint monumenta favoris,  
Invida si me Ævi forte ruina premet.  
Nec minus o veterum heroum, atq; obscura tenebris  
Illustrare libris quæ monumenta potes.

Fama Bona huc propera, & breviter dic ordine gentem  
VVitzlebicam, & breviter dic mihi facta Virum.  
Hoc juvat & laudi est, nec enim delere vetustas  
Dentibus Heroum fortia facta potest,

A 2

Gloria





*Gloria quos secum pennam inmortulium odorum  
Per terras pariter, transq; freta alta uehit.  
Sic ego, mox Fama asidit, cava sumitur illi  
Buccina, deinde ciet timpana clara sono,  
Explicat hinc librum, strophioq; uirente decorum  
Cincta caput laudes enumerare parat.*

*Ditericus à  
Vitzleben flo.  
an. 1409. præ-  
fectus Misnen-  
sis an. 1421.  
Tribunus mili-  
tum ad Austri-  
am an. 1426.  
A Boëmis &  
Husitis fuit oc-  
cisus propè  
Grimmam,  
adhuc spiranti  
oculos exscul-  
psere, in secun-  
da Boëmorum  
in Misniam in-  
ruptione.  
Sepult. Rosle-  
bii in sacello  
an. 1429. Dom.  
post Circumcis.  
Dom.*

*Illic res gesta, & veterum monumenta Virorum  
Vitzlebidum in Cedri cortice cernere erat.*

*Miles erat, primum Ditericus strenuus armis,  
Nunc quoq; Gradivi vultum animumq; gerens.*

*Qui non contentus patriis virtutibus auxit  
Friderici patris per sua facta decus.*

*Atq; suas contempsit opes, lectumq; Vacuna,  
Nec facere Huic placuit Murtie imaginibus,*

*Sed litui placuere animo, placuere sed arma,  
Armatis placuit comminus ire viris.*

*Hujus ad imperium Schwartzburgica leta iuuentus  
Parebat bello, consiliisq; domi.*

*Hic etiam hostiles turmas eduxit in hostes  
Bremenses, illos sternere cura fuit.*

*Hinc contra Husitas Gradivi in prelia duxit  
P R Æ F E C T U S quotquot Misnia clara dedit.*

*Et voluit pulcram mortem pro laude pacisci,  
Nec famam turpi commaculare fugam.*

*Illum Cinciades, Quecconiadesq; puellæ  
Fleuerunt, Grimmam Mulda ubi docta subit.*

*Corpus*



Corpus at exanimum servat Roslebia Virgo,  
Et jubet aeternâ laude virere Virum.

Hujus frater erat Christi de nomine nomen,  
Qui tenuit, quondam clarus ab arte sagi.  
Qui patris exemplo, & fratris fortissimus heros  
Et belli & Pacis novit habere modum.  
Misnia Praefectum hunc coluit, si bella vocabant,  
Utile & auxilium, consiliumq; dedit.  
Tandem inter natos, quos in certamina Martis  
Duxerat infelix Quinq; momordit humum  
Non tamen hos potuit nigris Oblivio pennis  
Surripere, en volitant clara per ora virum.  
Qui perit, externis & contumulatur in oris,  
Non perit, hunc sequitur gloria, servat Honor.

Nec minus exacuit facta ad Mavortia mentem,  
Qui Martis quondam Signifer arma tulit.  
Hos inter fratres qui stemma, Georgius, ornat  
VVitzlebicum, & servat post fera fata decus.  
Praebuit huic tumulum sacrata Erphurdia in aede,  
Et Clypeum, & fortis signiferi arma dedit.  
Sic ergo aeterna mandavit nomina fame,  
Quem vivum duxit Gloria, & auxit honor.

Sed neq; vos fratres Ditrici nobile germen,  
Nigra vetustatis surripere antra queunt.  
Durat honos Heinrice tuus, fratrumq; tuorum,  
Seu Friderice tuus, seu Diterice tuus.

A 3

Christianus à  
VVitzleben,  
frater an. 1401  
Praefectus Mis-  
nensis fuit. Oc-  
cumbit in præ-  
lio ad Austiam  
in victoria Boë-  
morum an.  
1426. Alius  
quoq; fuit Chri-  
stianus à VVitz-  
leben qui stetit  
à partibus Fri-  
derici 2. Placis-  
di Electoris.  
Huic Vilhel-  
mus Dux Sax.  
Land. Thur.  
an. 1446. par-  
tē arcis VVen-  
delsteina abstu-  
lit. Fuit itidem  
Fridericus à  
VVitzleben  
miles in castro  
VVendelstein  
1448. Consili-  
arius Vilhelmus  
Duc. Sax. cui  
brachium fuit  
lesum globo  
torm. an. 1446.  
Georgius à  
VVitzleben,  
Theodorici &  
Christiani fra-  
ter in VVen-  
delstein, an.  
1409.  
Ditericus tres  
Non habuit filios.

Non habuit filios.





Heinricum Eq.  
aura. in VVen-  
delstein. Dite-  
ricum in VVol-  
merstedt &  
Fridericum  
Eq. aurat in  
VWendelstein.  
Ditericus adi-  
ficat Templum  
Domumq; in  
VVolmerstedt.  
Moritur sine  
liberis. Sepul-  
tus Vinaria in  
quodam mona-  
sterio Vxor fu-  
it Elisabetha  
ab Heim.  
in Steckelberg.  
  
Fridericus Eq.  
aura. in VVen-  
delstein floret  
an. 1488. præ-  
fectus Qued-  
linb. & Goth.  
& Sangerh.  
Vxor fuit Eli-  
sabetha Dite-  
rici à VVer-  
tern Eq. aur. in  
Vibe, filia. Ab  
hoc descendit  
linea Philippi  
Heinrici à  
VWitzleben  
sponsi.

Non tu condis opes Diterice, at largus egenis  
Auxiliatrices porrigis ipse manus.

Atq; ubi fertilibus stat VVolmerstadia campis,  
Et Templum edificas, edificasq; domum.

Hei nimium felix proles tibi si qua fuisset,  
HEIMIAS auxisset si Elisabetha thorum.

Tandem concessit celebris Vinaria tumbam,  
Proq; sepulchrali veste cucullus erat.

At verò fulgens Fridericus equestribus armis,  
Auratus nomen Patris adauxit Eques.

Hic non est passus Juvenili in flore juventæ  
Corpus squallenti triste perire situ.

Sed iuvit mores hominum cognoscere & Urbes,  
Et posse in medio frigore ferre famem.

Scivit quæ campis acies, quæ montibus apta,  
Quæ loca sint hosti commoda, & insidiis.

Scivit pax quales sit conservanda per artes,  
Per quas Gradivi sanguinea ira cadat.

Ergo, Saxonidum magno turbante tumultu,  
Laus fuit adversis obvius ire globis.

Tandem pacis amor valuit, bellisq; relictis  
Æquato populis pondere jura dedit.

P R Æ F E C T U S Q V E fuit quæ Quedlinburga su-  
perbit

Mœnibus, & Gothe diruta saxa jacent.

Stat



Stat Castrum excellens celsis in montibus, illud  
 Jam longo decoras tempore Onester aquis.  
 Hoc Comites posuere ob seua pericula Martis,  
 Tuq; Hermanne Comes, tu Friderice Comes,  
 Ut populis, si Mars aut res adversa vocarent,  
 VVendelstein sedem presidiumq; daret.  
 Nunc Castrum hoc (tantum potis est mutare vetustas)  
 VVitzlebicum longo tempore stemma tenet.  
 Hoc coluit Fridericus, & hanc deduxit in arcem  
 Uxorem, quæ tunc Elisabetha fuit  
 VVertheri soboles Theodrici, fulgidus auro  
 Qui fulcit Fame nomen in arce suum.  
 Conjugio ex illo Theodricus nascitur ille,  
 Maest at quem summo mascula honore Dea.  
 Quo nascente Helicon risit, fluxitq; Aganippe  
 Largior, & duxit turba Novena chorum.  
 Hic etenim à teneris Peithus requievit in ulnis,  
 Gratiaq; Aoniis labra rigavit aquis.  
 Ast ubi jam firmata annis accesserat ætas,  
 Fecerat & doctum Flora juvena virum,  
 Per varias gentes Sanctas pervenit ad oras,  
 Mons Ephratus ubi est, Urbs Sion ea jacet.  
 Belgica & hunc vidit, vidit quoq; Gallia, & Alpes  
 Lustrare, & Romam cernere cura fuit.  
 Unde redux famam, titulis famulantibus, augs,  
 In patria vixit Martis & artis honor.

Anno 1432.  
 Fridericus &  
 Hermanus Co-  
 mites Vinari-  
 enses ad Vn-  
 strutam subvi-  
 um arcem in  
 colle edificans  
 VVendelstein.  
 Erant tum  
 multa latroci-  
 nia in Thurin-  
 gia. Hoc ca-  
 strum VVitzlebia  
 familia clara  
 & nobilis com-  
 parabit & ad-  
 huc possidet.  
 Fabr. Spangeb.

Ditericus à  
 VVitzleben, in  
 VVendelstein  
 Doctor & Equi-  
 aur. duxit An-  
 nam Godefredi  
 ab Ende in Ros-  
 burg filiam.  
 Moritur an.  
 1531. Sepul.  
 Roslebit.

Et





Et sic Doctor Equesq; tulit decora illa parentum  
Nobilitata togâ, nobilitata sago.

Sic ergo fuit immortalis adorea Diva,

Qua tribuit justâ lance cuiq; suum.

Post obitum hinc moritur, vivusq; renascitur idem.

Et veluti Phœnix sic redi vivus adest.

Cumq; SPEI sit vis in lubrico, & omnia nutent

Venatum & ducat Spes sine veste canes,

Nec minus hunc Pallas coluit, lauruq; virente

Marsq; comas cinxit, cinxit Apollo comas.

Tristia risu tempora leto temperat ille,

Spemq; rosas inter delituisse jubet.

Quattuor huic dederat conjux Roseburgia ab Ende  
Anna Godefredi filia, filiolas.

Et fratrem primæ Daniele gloria in ipsis

Carceribus tulerat Mortis acerba dies.

Quem nondum ad sacras Hymenæus duxerat aras,

Cujus adhuc corpus Frisia terra tegit.

Mascula jam dæerat proles, virtutis & artis

Nec, patris esse heres qui potuisset, erat.

Nascitur ergo optata diu, spesq; ampla parentum.

Heinricus, generis seminium ecce sui.

Quem leto adspexit puerum Patrima virago,

Inq; suo fovit Gratia amica sinu.

Mox ubi succrevit, depulsa nocte, coruscant

Lucem Evangelii protinus arripuit.

Grossus à D.  
Diterico cufus  
an. 1492. Sym-  
bolum, Tristia  
leto tempora  
risu tempera.  
Et: Spei vis in  
lubrico. Insi-  
gnia VVitzle-  
biana expressa,  
Virgo nuda  
Cytharam te-  
net, & duos ca-  
nes loris Ven-  
tum ducit.

Vtring, appi-  
sta Rosa.

Daniel à  
VVitzleben,

Diterici frater  
moritur in

Frisia an. 1514.

Vixit caelebs.

Heinricus à  
VVitzleben,

Diterici filius

nascitur Cal.

Nob. an. 1509.

Scholâ VVitz-  
lebicam an.

1554. erigit.

Conjug. habuit

Veronicam,

VVolfg. à Kal-  
be in Kalberich fil. an. 1560. Moritur an. atat. 52. an. 1561. Sepul. Rosalebii.

Et



Et Pietas, o clare puer, virtutibus istis  
 Maeste age, ait, vera hac itur ad astra via.  
 Divitiae tibi non desunt, sunt fertilis arvi  
 Jugera, te ditat Bacchus, & alma Ceres.  
 Sed non major honor surget nascentibus annis,  
 Quam si servator religionis eris.  
 Si vindex fueris Themidos, si cultor honesti,  
 Si nunquam ex aula tristis egenus abit:  
 Tempus erit quando Fama aurigante per auras  
 Gloria te vivum sydera ad alta feret,  
 Quando Scholam institues, pulsis vestalibus inde  
 Virginibus, Phæbo possit ut esse locus.  
 Hæc quanta accedet cœli Benedictio si tum  
 Lallantum laudem colliget ore Deus!  
 Cùm pueri scandent bifidi juga frondea montis,  
 Cumq; Aganippeas fundet Onester aquas.  
 Cum Schola V Vitzlebidum violas, calycesq; rosarum  
 Ex hortis Charitum, Castalidumq; leget.  
 Cùm pueri donis Musarum & dotibus aucti,  
 Maestabunt digno nomen honore tuum.  
 Cùm te gaudebunt titulo indigitare Parentis,  
 Et laudum incendunt thura sabæa tibi.  
 Cùm tibi. Sed taceo. tu perge, & nobile stemma  
 V Vitzlebidum decora hac nobiliore nota.  
 Hac casti maneant in religione Nepotes,  
 Auxilio & cupiant amplificare scholam.

B Christi





Christires agitur, si Christi Ecclesia crescit,  
 Publicares crescit, crescit ubi alma Schola.  
 Ergo aliis placeat sacras res vertere fundo,  
 Ut Charitum spolient, Pieridumq; domos.  
 Tu parce hic temerare manus. tibi crescat in horas  
 Hæc Schola, VVitzlebidum gemma sit ista tibi.  
 Hæc Pietas, tacitoq; animum sub pectore movit,  
 Ex illo has interstat Schola nata Rosas.  
 Stat Schola, sitq; precor longis celeberrima in oris,  
 Disq; gregare illam quis valet absq; malo?

VVolfgangus  
 Theodoricus à  
 VVitzleben in  
 VVendelstein,  
 posthumus na-  
 scitur An. 1561.  
 4. Cal. Aug.  
 26. die post pa-  
 tris mortem.  
 Ducit in uxor.  
 Mariam Geor-  
 gii à VVerter.  
 Ibid. & in di-  
 tionib. Vibo &  
 Frondorff. Fi-  
 liam Anno  
 1583. Moritur  
 in Christo plac.  
 Anno 1596. 14.  
 Decemb sepult.  
 Roseleb Schole  
 VVitzleb. nu-  
 tricius beni-  
 gniss. & clariss.

Quis verò, ille caput cinctus Peneide lauru,  
 Cui comes est virtus, cui Pietasq; comes?  
 Agnosco faciem egregiam, atq; in pectore vultus,  
 Vtrtutesq; hærent, & benefacta Viri.  
 Hic vir, hic est cujus sub ramis arboris altæ  
 Umbras captavit docta Novena cohors.  
 A quo fonte suas cepere Rosaria vires,  
 Cujus presidio crevit, & aucta schola est.  
 Omnia & in melius convertit, & omnia lucem  
 Accepere, Deo sic moderante, novam.  
 VVolfgange ò Theodrice, Patris sperata propago,  
 (Sed spes heu Patris morte sepulta fuit.)  
 Namq; hunc dum Genetrix nascentem portat in alvo,  
 Dum plenus, justo tempore, mensis abest,  
 Occidit & moriens sobolem uxoremq; relinquit,  
 Ante diem, partus tempora & ante, Pater.

Quod



Quod potuit duplices tendens ad sidera palmas  
 Filiolum ô, dixit; da mihi summe Pater.  
 Da mihi summe Pater Natum, post fata superstes  
 Qui Patris stirps sit seminiumq; domus.  
 Sic vivam, moriarq; lubens, si parvulus hæres,  
 Posthuma si proles ludet in Arce mea.  
 Vota habuere fidem. succrevit posthuma proles,  
 Par virtute Patri, par pietate Patri.  
 Non illum eduxit sine pectore blanda voluptas,  
 Non hujus petiit Cypria calce caput.  
 Sed pietatis amans voluit vestigia prima,  
 Sectari ad Themidos, ad Sophiæq; domos.  
 Saxonie ducibus placuisse haud ultima laus est,  
 Et varios mores aulica vita docet.  
 Aulica vita viam monstrat prudentiæ ad arcem,  
 Quæ facienda monet, quæ fugienda monet.  
 Aulica vita hominem format, fugit omnis ab aula  
 Rusticitas, torpor cum feritate fugit.  
 Ergò V Vitzelebius sectari principis aulam,  
 Perficere & voluit munia jussa Ducum.  
 Hinc menti venit rerum prudentia major,  
 Hinc populis cepit charior esse suis,  
 Præcipuè coluit Justæ Sacraria Divæ,  
 Atq; uni jussit reddere cuiq; suum.  
 Non ille est ausus sacros ridere Poëtas,  
 Sed placuit Phœbi tangere sæpe lyram.

B z

Grata





Grata fuere illi Doctorum examina Vatum,  
Grata fuit Clio, Musica grata fuit.

Et jam tempus erat mentem submittere amanti,  
Et jam casta Venus, jamq; placebat Amor.  
Eligit ergo sibi sociam, sortisq; levamen,  
Millibus ex multis unica, & una placet.

Maria à  
VVitzleben,  
Georg. à VVer-  
thern filia nasc.  
an. 1553. 7. Sep.  
In conjug. 13.  
an. vixit vidua  
15. an. Denasc.  
an. 1612. prid.  
Non. Ap. apud  
Sororem in ar-  
ce VVarten-  
burg. Sepul.  
Rosel. ad latus  
conj. sua. 4.  
Cal. Maji. Mas-  
ser benigniss.  
Schole.

Nempe Maria placet VVertherinata Georgii,  
Stemmata ab hoc claro sola Maria placet.

Hanc amat, hanc ducit Sponsam, fruiturq; cupita,  
Hæc desiderii est flamma corusca sui.

Cujus ego laudes si vellem intexere chartis,  
Et magna exiguis enumerare modis,

Sol prius occiduus componeret acta diei,  
Solis & adspiceret nox redeuntis equos.

Nam quas non dotes, quæ non in pectore dona,  
Huic Charites larga contribuere Deæ?

Cernere nil oculi possunt, nil concipere & mens  
Egregium potuit, conspicuumve potest,

Hæc quod non habuit: Charites nam quicquid ameni,  
Quicquid habet Cypris, Pallidi quicquid inest,

Quicquid laudatur virtutis, quicquid amatur,  
Quicquid honestatis continet alma fides;

Hæc habuit; fuit omnis in hac nam Gaza bonorum,  
Ut dubites fuerit Pallas, an alma Venus.

Atq; utinam optatam potuisset cernere lucem,  
Apportant hodiè quam Phaëtontis equi;

Unica



Unica qua soboles quaq; unica cura Philippus  
 Henricus sancit fœdera sancta tori!  
 Adspiceres lacrimasq; piâs, & vota Parentis,  
 Adspiceres tacito gaudia nata sinu,  
 Utq; salutarer Sponsam, verbisq; benignis  
 Duceret, & Gnato traderet ipsa suo.  
 Ipsa daret Sponsæ manuum monumenta suarum,  
 Conciperetq; piâs, ore gemente, preces.  
 Lætior ulla dies toto haud venisset in anno,  
 Lætior haud unquam cœna peracta foret.  
 Duxisset Veneris Charitëia triga choreas,  
 Legisset Juvenem quæq; puella sibi.  
 Interea surgens doctus cantasset Apollo  
 VVangenheimiadum fortia facta Virum.  
 Et genus antiquum & longaeva ab origine famam,  
 HARTMANNI, & fuerit gloria quanta Viri.  
 Cujus consiliis secretis aula Coburgi  
 Incluta Saxonie Principis usa fuit.

Adjiceret famam Sponsæ, fratrisq; Georgii  
 Quotq; viris hodie sit bene fulta domus:  
 Non laudes Sponsæ cessarent Matris, ab Herda  
 Quæ genus & tituli facta, Sabina, trahit.  
 Omnia VVitzlebius quæ si audivisset abundè,  
 Lætitiæ plausus & bona signa daret,  
 Atq; novis Sponsis optaret quicquid ab alto  
 Omnipotens Sponsis donat habere boni.

B 3

Sed

Philippus Hen-  
 ricus à VVitz-  
 leben in VVen-  
 delstein nasci-  
 tur an. 1584.  
 Cal. Mayj.  
 Hoc anno 9.  
 Cal. Decemb.  
 Sponsus ducit  
 Hartmanni à  
 VVangenheim,  
 ibid. & in Dun-  
 geda Conf. Il-  
 lust. Duc. Sax.  
 Consil. intim.  
 Coburgi filiam.  
 Anno æt. 29.



Sed vixit. Mors heu, Mors omnia perturbavit,  
Quæ pulcrum in terris nil finit esse diu.  
Nunc ad dulce latus VVolfgangi conjugis ipsa,  
Quod vidua optavit terq; quaterq; cubat.  
Inq; sui Christi requiescit dulciter ulnis,  
Et cum VVitzlebio gaudia pacis agit.  
Vivite felices anima, fortuna peracta est  
Jam vestra, eternas ducite leticias.  
Non vos tanget iners Oblivio, nullaq; vestram  
Infamam, & laudes texet aranea opus.  
Sed veluti laurus foliis viridantibus exit,  
Despicit & brumam, despicit atq; nivem;  
Sic etiam laus vestra hyemem contemnet iniquam  
Invidia, & tollet fronde virente comas.  
Sæpius ad tumulum veniet Roslebia virgo,  
Et sparget violas, cum lacrymisq; rosas.  
Et dicet, cubat hoc Pater hæc sub marmore charus,  
Tuq; Scholæ mater. Nunc ubi mater? ubi est?  
Augebunt lacrymis crescentes Naiades undas,  
Et vix currentes sistet Onester aquas.  
Tu verò omnipotens jam tandem comprime luctus,  
VVitzlebium serva stemma, thorumq; bea.  
Sat lacrymis curisq; datum est. nunc gaudia surgant,  
Ceu postliminio, multiplicata tori,  
Vivat io Sponsus cum Sponsa, & tempore justo  
Filiolos videat, filiolasq; suas.

Sit



282

Sit bonus & placidus, servet myrmecia Christi,  
Antiquis vivat moribus, arte, fide.  
Hæc laus summa viro est. magnum venit argumentum  
Si quis amat fidi nomen habere patris.

Sed satis hoc. Geminas aures huc vertite rursus,  
Namq; canenda mihi plurima, pauca dabo.  
Rursus ad Heinricum redeo (deduxerat inde,  
Stemma auctum ramis me Friderice tuis)  
Nam cum vidisset florentem in equestribus armis  
Fridricum, & forti parta trophæa manu,  
Æmulus Heinricus fratris virtutis & esse  
Heres constituit, non sine laude, Patris.  
Ergo animum exercens patriis discedit ab oris,  
Castra, & Gradi vi sub duce signa placent.  
Militiam sequitur, galeâ caput induit, arma,  
Fert, atq; hostiles congerit exuvias.  
Unde huic applaudit letis Victoria pennis,  
Atq; Equitem aurato torque coronat Honor.  
Viderat hæc Amor: & secum, sit strenuus armis  
Hic licet, arma tamen colliget inde mea.  
Nam tres sunt species belli, tria castra parantur,  
Prima locat Mavors, & gravia arma gerit.  
Altera castra tenet Patrima virago, suosq;  
Cultores libris armat, & arte gravi.  
Tertia castra locant Charites, Venus, atq; Cupido,  
Assedasq; armant quæstibus, & lacrymis.

Haftenus pro-  
sapia ex stem-  
mate Friderici  
à VVitzleben.  
Sequitur linea  
Heinrici à  
VVitzleben,  
& posteritas.  
Heinricus à  
VVitzleben in  
VVendelstein  
Eq. aur. ha-  
buit Vxor. An-  
nam à Nis-  
nitz. in Nebræ  
Filiam. Mori-  
tur Anno 1504.

Dimissus



Dimissus primis, dimissus & inde secundis  
VVitzlebius castris, in mea castra ruet.

Sic ait, & telo pectus diuerberat; inde,

ANNA suo Heinricho Nismiciana placet.

Tali ex conjugio stirps ampla repullulat, atq;

Lucinam decies Mater amica vocat.

Nascitur insignis clypeo, & fulgentibus armis

Fridricus, Martis gloria, cura Ducum.

Hostiles cujus dat stragem framea acervos,

Auratis cujus fama triumphat Equis.

Et quoniam cernit fratrem sine amore Georgium,

Quodq; caput calcet Mors Theodrice tuum,

Ipsē abit ad populos varios (consistere Virtus

Non vult, obscuro nec latitare loco.)

Hinc Belgas petit, & quae se Brabantia tollit,

Dumq; abitum querit, captus amore manet.

Namq; Iacoba oculis capit hunc Balgethica, Virgo

Hæc placet, hanc thalami fœdere necit Amor.

Hinc Jacobe venis claras in luminis auras,

Qui cœlebs, Martis sorte peremptus, obis.

Solus jam superest sine fratre Georgius hæres

Fridricus, solus possidet ille domum,

Qua latis pandit se VVolmerstadia campis

Nympha, & VVitzlebico subjacet imperio.

Ergo

Fridericus à  
VVitzleben in  
VVolmerstedt  
Eq. aur. duxit  
uxor. Iacoben

à Balgith ex  
Brabantia fili-  
am. Duos ha-  
buit filios. Ja-  
cobum, qui ca-  
tebs in bello  
mortuus est, &  
Georgium Fri-  
dericum.

Frater hujus  
Georgius mori-  
tur cælebs. Di-  
tericus moritur  
in pueritia.

Septem habuit  
sorores, inter  
quas quatuor  
fuerunt virgi-  
sacra in Ros-  
leben.

Georgius Fri-  
dericus à  
VVitzleben  
in VVolmer-  
stedt Friderici  
soboles duxit

Ottiliam à Karpen. Ibid. Moritur an. 1356. Filios habuit sex. Johan. Frid. Georg. Edelfedericum.  
Adam. Diteric. & Christoph. Filias vero octo.



Ergo animo fidens fratris supplere ruinam  
 Tentat, conjugii fœdus initq; sacrum.  
 Scilicet arbor ut in florem VVitzlebica sese  
 Induat, & fructus multiplicata ferat.  
 Nec frustra. Ottiliam antiquo de stemmate ducit  
 A Karpen, coniux hæc fit amore pari.  
 Juno thorum sternit, fulgent feliciter ignes,  
 Et thalami fausti signa dat ales Amor.  
 Fervet Amor. Natos diverso tempore Mater  
 Sex, sed filiolas dulciter octo videt.  
 Quos omnes brevibus cupio comprehendere dictis,  
 Namq; alios rapuit Mortis acerba dies.  
 Christophorus perit in primævo flore juventæ,  
 Cumq; Eva in vitæ limine Adamus obit.  
 Te Schönverda capit Friderice, at roscida Tauert  
 Expertem sobolis te Theodrice capit.

At Janeo Friderice tenes cum fratre Georgo.  
 VVolmerstadt, Patriam post pia fata domum.  
 Atq; Helenam ducis, florenti ætate puellam,  
 Quæq; Ebersteini filia nata toro est.  
 Cum qua plenus amor fuit, & concordia plena,  
 Donec conjugium Mors fera dissolvit.  
 Felix morte tua, sed enim post funera vives,  
 Et famam à serâ posteritate feres.

Adam & Eva  
 gemel. moriuntur  
 in infanti  
 Christoph. moritur  
 in pueritia. Edelfritz  
 à VVitzleben  
 in Schöneverda  
 duxit Elisabetham  
 VVi-prehti à Schir-  
 sted in Bentzi-  
 geroda filiam  
 Anno 1571.  
 Moritur anno  
 1575.  
 Ditericus à  
 VVitzleben in  
 Tauert duxit  
 Mariam Sig-  
 fridi à Bende-

C

Namq; fridi à Bende-

leben. Ibid filiam Anno 1569. Moritur absq; prole Anno 1571. Sepul. in VVolmerstedt.  
 Johannes Fridericus à VVitzleben in VVolmerstedt duxit Helenam Philippi ab Eberstein in Geba-  
 sen filiam. Moritur Anno 1581. Reliquit filios duos. Georgium Philip. à VVitzleben qui adhuc vi-  
 nit, & jam viduus marit, & Ianum Frideric. qui occubuit.

ergo  
icum.





Namq; Georgius ille tuus, tua cura, Philippus  
Cōservat patrium non sine honore decus.  
Quem pietas servat, quem virtus nobilis auget,  
Quemq; bonorum omnis cætus honorus amat.

Maria à Quitz  
schau Georgij  
Philp. à VVitz  
leben conjux  
dilectiss. mori-  
tur anno 1613.  
Mense Decem.  
Reliquit duos  
filios, qui adhuc  
vivunt, Philip.  
Christoph. & Georg.

Qui postquam Janum Fridericum occumbere fatis  
Vidit, & in vidua se superesse domo,  
In thalamum accepit Quitzschau de gente Mariam,  
Quæ multa hunc fecit prole vigere virum.  
Qui nunc in viduo thalamo sine compare vivit,  
Et fata à Cælo prosperiora petit.  
Georg. Ditericum à VVitzleben &c.

Georggius à  
VVitzleben  
Georgij Frid. à  
VVitzl filius in  
VVolmerstedt.  
habet Annam  
Siffredi à Ben-  
deleben. Ibid. si-  
liam. Moritur  
anno 1569. 3.  
cal. Jul.  
Reliquit filium  
Georg. Frider. à  
VVitzleben in  
VVolmerstedt,  
qui adhuc vi-  
vit cum uxore  
Magdalena Christoph.  
Diter. Georg. Frid.  
Conradum Heinr. &  
VVolfg. Frideric.  
Anno 1612. X. cal. Dec.

Nec minus interea soboles se læta Georgii  
Tollit & amplificat B E N D E L E B I N A domum.  
Namq; Georgius en Fridericus nobile germen  
Vivit, ab hoc crescit multiplicata domus.  
VVitzlebia hinc lætis ramis extenditur arbor,  
M A G D A L I S ædificat dum H E S E L E R I N A thorum.  
Hinc nati natorum, & qui nascentur ab illis  
Surgent, ut crescat VVitzlebiana domus.  
Quæ terras colat, & famam quæ terminet astris,  
Umbra sit agricolis, umbra sit altilibus.

Magdalena Christoph. ab Hessler in Klosterheßler filia. Ex qua suscepit fil. VVolfg. Frideric. Natu minimus Georg. Rudolph. in pueritia moritur Anno 1612. X. cal. Dec.

Plura quidem restant verum oculis ista vetustas,  
Inq; Ævi eterno stant ea scripta, libro.  
Dicta hæc sufficiant. Sponso nunc cætera mando,  
Qui faciat ne fors stet sine prole thorus.

Sed



Sed dabit Henricos, & Avos qui nomine reddant  
 Atq; Sabinellas, dein Mariasq; dabit.  
 Patris, Avi, Proaviq; Ataviq; Abavi, Tritavijq;  
 Facta ut Posteritas multiplicata canat.  
 Ergo operi accingat sese, & surgentibus astris  
 Perpendat quid sit connubialis Amor.  
 Quae nota sit zephyri, quid cogitet humidus auster  
 Dilectae Halcyones quae sibi sacra velint.  
 Quae sit laus nomen praedulce audire parentis,  
 Et quae sit serae posteritatis honos.  
 Et quam sit manibus deduci dulce suorum,  
 Atq; horum in gremio mortis obire diem,  
 Sic fama, & surgens uiuaci in sculpere cedro  
 ( Si fit honor chartis ) haec monumenta iubet.  
 Et jam iusta facit Roslebia, Carmen in aulam  
 VVitzlebicum, Vatum munera, ferre parat.  
 Cum venit, obscura terras nox nube tenebat,  
 Et stabat thalami Cyprigena ante fores.  
 Iamq; nouis Sponsis suadebant sydera somnos,  
 Nec spectanda dabat sacra Cupido sua.  
 Ergo sedens Sponsum expectat Roslebia, donec  
 Prouocet Auroram Lucifer, illa diem.

8. 7. 9.

CARMEN





CARMEN II.

EPITHALAMIUM.

Vesper adest, juvenes confurgite, Vesper honores  
Poscit, & accensa lampade surgit Amor.  
Jam veniet Sponsus, veniet lectissima Virgo,  
Vinclaq; jam cesti dissolüenda dabit.  
Gaudia jam surgent, jamq; applaudentibus alis  
Delicias fingent Risus, amansq; Jocus.  
Dum loquor, ecce venit Sponsus, lectumq; jugalem  
Scandens, se sociam gaudet habere thori.  
Sed quoq; Sponsa venit transfixa Cupidinis arcu,  
Sub corde & magnum vulnus amoris alit.  
Ergo agite ô Juvenes tantarum in munera rerum  
Surgite, sacra thoro sunt peragenda sacro.  
Quid verò innuptæ thalamum cinxere puellæ,  
Carmina fortassis præmeditata ferunt?  
Non temerè est. Viden ut manibus per mutua nexis  
Instituunt dulces ducere ab arte choros?  
Dicere jam cupient: jam respondere juvabit,  
Tuq; Hymenæe veni, tuq; Hymenæe veni.  
Dicimus huc Hymenæe veni, quid gaudia differs?  
Vesper Amorq; jubent, huc hymenæe veni.  
Hespere, quis tecum in cœlis certaverit ignis,  
Quisve tuas vires enumerare queat?

Tu



Tu firmare potes, quæ constituere parentes,  
Fœdera, & auspicio constituere tuo.

Tu nosti gnatham ê gremio divellere matris  
Hærentem, & cupido conciliare viro.

Te duce Sponsa suo Sponso conjungitur arctè,  
Te vigilante polo nox mage grata die.

Basia tu nosti, nosti suspiria amantum,  
Quicquid & in prima nocte revelat Amor.

Te lucente thorum tangit gens ampla leporum,  
Et Jocus â latere est, â latere inde Charis.

Dicimus hinc Hymenæe veni, quid gaudia differs?  
Vesper amorq; jubent, huc Hymenæe veni.

Hespere in his terris quidnam felicius extat  
Conjugio, aut quidnam sanctius esse queat?

Conjugum res sacra Deo est. hic omnibus ortum  
Duci á conjugio, non aliunde, probat.

Ipsè Deus Sponsis benedicit, cœlitus ignem  
Hoc mandante piis pectore versat Amor.

Sic ex conjugio dulci sub luminis auras

Omne genus Patrum provenit, omne Ducum.  
Casta Deus mens est. thalamo hinc indixit honores,  
Illuviem Veneris, spurcitiemq; vetat.

Christus amat Sponsû: Sponsa est Ecclesia, & ornat  
Hanc donis, redimit sanguine, servat ope:

Nec dapibus fungi genialibus ille recusat,  
Sed commutat aquas, pocula datq; meri.

C 3

At



Et Deus ex aliis alios generando nepotes  
Sufficere, & Nato vult superesse gregem.  
Ergò dies surgit seu nubila, sive serena,  
Vir novit fœdus conjugii esse sacrum.  
Etsi quando thorum tædas exosa jugales  
Eumenis afflictat, cruxq; molesta venit,  
Non defit lætis columen, solamen acerbis,  
Auxilium miseris, & medicina malis.  
Nec membris vitæ sine connubialis amore  
Aspergit virus cui sacra jura placent.  
Vulgi vagæue rotis Cytheræ immittit habenas,  
Qui thalami exoptat dulce subire jugum,  
Interea surgens ramis frondentibus arbor  
Conjugii umbrosas explicat alta comas.  
Parvaq; succrescens soboles sub matre virente  
Exornat patriam fertilitate domum.  
Laus crescit, seris fit longè illustrior annis  
Posteritas, soboles patrem, & honorat avos,  
Et dubitamus adhuc Natis impendere curam,  
Nec thalamum sequimur, quem probat ipse  
Sator?

Quin Hymenæe veni, quid amoris gaudia differs?  
Vesper Amorq; jubent, Quin Hymenæe veni.

Hesperere, in hoc toto quæ res jucundior orbe est  
Conjugio, aut quidnam dulcius esse potest?  
Dulce, puellarum decus immortale videre,  
Cum labra sunt Paphiis invidiosa rosis.

Dulce;



Dulce; ubi Nymphá gerit per eburnea colla capil-  
los,

Cumq; color niveas purpurat ecce genas.

Dulce, ubi virgo urit Juvenem magnetico ocello,  
Eloquioq; potest flectere in obsequium.

Dulce, ubi deinde manus dat victas, atq; jugalem  
Vitam amat, & sequitur jura, fidemq; thori.

Dulce, ubi cum Sponsa sacras accedit ad aras  
Sponsus, & exorat fata benigna Dei.

Dulce, ubi prima dies, & noctis amicior hora  
Non metuente ligat corcula bina iugo.

Dulce, ubi vir surgit, tracta q; negotia fortis,  
Inq; toga prudens, strenuus inq; sago. (mnem

Dulce, ubi nupta venit vultu placidissima, & o-  
Procurat magnâ dexteritate domum.

Dulce, ubi custodit felix concordia lectum,  
Florentemq; regit Paxq; fidesq; domum.

Dulce, ubi terra ferax grauidatur diuite cornu,  
Prouentuq; suo turget adaucta domus.

Dulce, ubi dat sobolem læta Ilithyia videre,  
In qua dignosci possit uterq; parens. (cello

Dulce, ubi crescentem hanc formoso adspectat o  
Gratia, & æterno nectare labra fouet.

Dulce, ubi Fama volans Cygni pernice volatu  
Facta canit sobolis, facta patrisq; canit.

Dulce, ubi posteritas ramis felicibus exit,  
Educat & Stirpes multiplicata domus.

Dulce



Dulce, ubi post cineres atq; ultima fata parentum  
Laudat sol oriens occiduusq; torum.  
Ergo coniugio cum nil sit dulcius unquam,  
Cum thalamus secum commoda tanta ferat.  
Hymen O Hymenæe veni, quid gaudia differs.  
Vesper Amorq; iubent, huc Hymenæe veni.

Hespere quid Charitum tempe formosius ornat,  
Aut quid apud Nymphas pulcrius esse queat,  
Quam cum Dia Venus decerpit pollice molli  
Florem, qui Calycis tegmine opertus erat,  
Atq; illum thalami felicibus inserit hortis,  
Utq; maritetur dat Zephyrum, imbre iuvat,  
Adspice Virgineus flos, illibatus, in hortos  
Coniugij transit, pulcra Sabina, sacri.  
Et nunc languescens ceu mollis amaracus imbres  
Expetit, & Zephyrum, Sponse Philippe, tuum.  
Quam iuuat & uolupte est! Ergo sub coniugis umbra  
Crescens VVitzlebica stirpe coronet humum.  
Tu uero Elisabetha venustula Virgo quid ultra  
Turgidulos oculos sic gemebunda teris?  
Parce oculis, & crede, modo quæ horrescis amabis,  
Virgo, hodie, sed cras VVitzlebica uxor eris,  
Dulcis amaricies amor est, qui talia nescit  
Vallatam spinis nescit amare rosam.  
Nos etiam Cytherea potens (ah plurimus ignem  
Subijcit ecce rubor, virgineusq; pudor)

Trans-



Transferet, & thalami iucunda in sede locabit,  
Vt sua quamq; dies poscet & ales Amor.  
Interea ò Hymenæe veni, nec gaudia differ,  
Vesper Amorq; jubent, huc Hymenæe veni.

Hespere cum tibi sit thalami concessa potestas,  
Cum spectanda tibi det sua sacra Venus,  
Fare age, quid faciat Sponsus, quã corde secet spem,  
Et quid sub tacito pectore verset Amor?  
Anne iuuat primæ decerpere dona Juuentæ?  
Confertis ne petit pectora pectoribus?  
Quid Virgo? an libat suauissima basia Sponso,  
Atq; columbinis morsibus ora petit?  
An miscet sponso mel amabile, amabile mulsum?  
An iuuat in casto concubuisse toro?  
Suaue rudimentum. quid enim sit suauius unquam,  
In portu quã si salua carina natat,  
Aut si Mercurio, Soli, Veneriq; litamus,  
Luna his ut decimo pignora mense ferat.  
Tuq; adeò ò Hymenæe veni, nec gaudia differ,  
Vesper Amorq; valent, ò Hymenæe Veni.

Hespere, quis somnus deludet imagine primus  
Sponsam, quæ primâ somnia nocte ruent?  
Componens manibusne manus atq; oribus ora,  
Atq; Damascenis æmula labra rosis.  
Omnia sub pedibus ridere, & prata videbit  
Aurea, & ex auro carpere poma manu?  
D Aut



Aut pulcris stellata rosis, atq; alba ligustris  
Incedens flores virgineo ungue metet?  
Et carpet violas, & Eryngion utile nuptis,  
Ut sponso hoc placeat munere Delicij?  
Cuius flore Phaon Permessidos oscula Sapphus,  
Germinis atq; usu dulcia promeruit.  
Quicquid agit, faueat Cypris alma, ut somnia vera  
Sint, atq; in lecto tempora verna fluant.  
Ut Jocus hanc Rirusq; iuuent, sine nocte tenebræ  
Sint, sine nox tenebris, & sine nube dies.  
Rixa odiis careat, fiat sine vulnere bellum,  
Sit matutino victa labore Venus.  
Sed satis est. Tacitis terras amplexa tenebris  
Nox bona jam Cypridos condere facta iubet.  
Tu uerò qui iam dulci cum compare dormis  
Dulciter, & cuius vota feremat amor,  
Sponse; virum temet præsta, ut longo ordine natos  
Adspicias, dulcis munera coniugij.  
Vinea quid frondet, quidq; arbor porrigit umbras,  
Si non dat fructus illa, uel illa suos?  
Tu quoq;, Sponsa, vige, quò tandem tempore iusto  
Ante tuos ludat turba novella pedes.  
Inclita prosperitas in se teres atq; rotunda  
Adsit, & ô thalami cingat utrumq; latus.  
Neu quis conturbet lecti sacra gaudia Dipsas,  
Prætendat Pietas nobile moly precum.  
Claudite iam thalamum. Tu Cypridos Hespere!  
Nobis ad thalami gaudia luce præi. (Sydus  
Respice



Respice nos. viden: ut uolat irrevocabile tempus,  
 Virginitas placuit, Coniugium ecce placet.

Dicimus interea ó Hymenæe, Hymenæe quid ultra?  
 Hesperus en abiit. iamq; Hymenæus abit.

Quæ terras colat, & famam quæ terminet astris,  
 Umbra sit agricolis, umbra sit altilibus.

Plura quidem restant, verùm occulit ista vetustas,  
 Inq; Ævi æterno stant ea scripta libro.

Dicta hæc sufficiant. Sponso nunc cætera mando,  
 Qui curet ne fors stet sine prole domus.

Ergò operi accingat sese, & surgentibus astris  
 Perpendat quid sit Connubialis Amor.

Quæ nota sit Zephyri, quid cogitet humidus Auster?  
 Dilectæ Halcyones quæ sibi sacra velint.

Quæ sit laus nomen prædulce audire Parentis,  
 Et quis sit seræ posteritatis honos.

Et quàm sit manibus deduci dulce suorum,  
 Atq; horum in gremio mortis obire diem:

Sic Fama, & surgens viuaci in sculpere cedro  
 ( Si sit honor chartis ) hæc monumenta iubet,

Et iam iussa facit Roslebia, carmen in aulam  
 VVitzlebicam, vatum munera, ferre parat.

Cum venit, obscurâ terras nox nube tenebat,  
 Et stabat thalami Cyprigena ante fores.


Ergo sedens Sponsum expectat Roslebia, donec  
 Prouocet auroram Lucifer, illa diem.

2. 7. 9.

D 2

CARMEN.





CARMEN III.

Musicae & Conjugii comparatio.

Musica grata Deo mulcet dulcedine mentes,  
Harmonicoq; sono dulciter exhilarat.  
Sic & conjugium est. parili nam foedere junctos  
Complexu in dulci letificare potest:  
Nec vero incertâ fiunt modulamina voce,  
Musica sed leges, & sua tempora habet.  
Sic quoq; conjugium haud incertâ lege vagatur,  
Harmonicum novit sed bene ferre jugum.  
Musica habet Claves, & sex discrimina Vocum,  
Scit Duro aut Molli quae celebranda sono.  
• Observat quae sit Mutatio crebra, Character  
Qualis, & an Simplex sitve Ligata Nota.  
Interdum Pausat, Proportio deniq; crescit,  
Atq; Tonum ostendit Clausula, quando bona est.  
Hec in conjugio quoq; sunt. Duce Numine Clavis  
Legitimi thalami est Connubialis Amor.

Hoc.



Hoc sine nil thalamus casti inchoat, omnia cepta  
 Turbantur, Clavis si moderamen abest.  
 Fit Nota virtutum thalamus, mentisq; Figura,  
 An Simplex, an sit fraude Ligata mala.  
 Sic in conjugio Molli fortuna tenore  
 Res versat, sed enim Crux quoq; Dura venit.  
 Incidit atq; status Mutatio crebra, & in altum  
 Surgimus, in dubio vitaq; morsq; loco est.  
 Pausa fit interdum; in dubiis filet, arduus aether  
 Intonat, aut, ubi fors pausat, amicus abest.  
 Non minus interea crescit Proportio, major  
 Triplex fit soboles, subsequiturq; minor.  
 Donec Mors Finit vitã fugiente labores,  
 Quae si sine bono concidit acta, bene est.  
 Ergo conjugii quia non abludit imago,  
 Haec precor in thalamo sit Nota, Sponse, tuo.  
 Maxima sit Pietas, sit Maxima cura Tuorum,  
 Maxima sit Sponse, Maxima cura Scholae.  
 Longa tibi veniat laus, longis clarior annis,  
 Longa & posteritas, sit tibi longa dies.  
 Sit brevis anxietas, sed non brevis illa voluptas,  
 Quae facta & famam nobilitare solet.  
 Quod si delectant Veneris te gaudia, Sponse,  
 Semibrevis nox sit, semibrevisq; dies.  
 Scilicet ut dicas Minimi esse peracta laboris  
 Facta, & cogaris conduplicare dies.

D 3

Utg

oc.





*Ultq; deim videas fuerit Proportio qualis,  
Mollis & an cantus, Durus an ille fiet.*

**NON RES IN LACRIMIS, FAMA aVT sine SoLe suo  
EXIT,**

**Si seruat Christo sub duce vita Tonum.**

3. 7. 9.

Rosalebii.

**F I N I S.**





240.

H.

10

2

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1

1





Dom. 7 / 5935<sup>9</sup>

QX

107



12

ULB Halle  
004 502 37X 3  












Monu  
STEM

ET H

IllibatoH

etæ Jugæ,

*In*

DEO Opt. Sum

& C

*Novisq*

IX. Cal. Decem

VVEN


S

~~~~~

L I

Impressum à V

M.



Z f  
5935

